Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

P.Terentij sex:|| quae extant: Comoediae. An=||dria. Eunuch[us]. Heautontimo=||rumenos. Adelphi. Ecyra.|| Phormio.|| ... [qui]=||b[us] erudita Philippi Melę Brettani p̃posita est epi||stola ... || ...

Terentius Afer, Publius

Lipsiae, 1519

Prologvs

urn:nbn:de:bsz:31-114211

Visual Library

Vt ueritas patefacta est, ducit Aeschinus
Vitiatam, potitur Cthesipho Citharistriam.

¶ PROLOGVS.

Eiusdem numeri.

P Ostquam Poeta sensit scripturam suam
Ab iniquis obseruari, & aduersarios
Rapere in peiorem partem. quam acturi sumus,
Indicio de se ipse erit, uos eritis iudices.
Laudin an uitio duci factum oporteat.
Synaphothniscontes Diphili comœdia est
Eam commorientes Plautus fœcit fabulam.
In græca adulescens est, qui lenoni eripuit
Meretricem, in prima fabula cum Plautus locum
Reliquit integrum, eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, uerbum de uerbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus nouam, pernoscite,
Furtum ne factum existimetis, in locum
Reprehensum, qui præteritus negligentiast.
Nam quod isti dicunt maleuoli homines, nobiles
Eum adiutare, assiduecq; una scribere,
Quod illi maledictum uehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximã, cum illis placet,
Qui uobis uniuersis & populo placent.
Quorum opera in bello, in otio, in negotio
Suo quisq; tempore usus est sine superbia.
Dehinc ne expectetis argumentũ fabulæ,
Senes qui primi uenient, hi partem aperient,

In Agendo partem ostendent. facite uestra æquanimitas
Poetæ ad scribundum augeat industriam.

ACTVS PRIMVS

MITIO.

ℭ Senarii omnes.

Torax, non rediit hac nocte a cœna Aeschinus?
s Neq; seruulorũ quisq̃, qui aduorsum ierant?
Profecto hoc uere dicunt, si abſis uſpiam, aut
Vbi ſi ceſſes, euenire ea tibi ſatius eſt,
Quæ in te uxor dicit, & quæ in animo cogitat
Irata, q̃ illa quæ parentes propitii.
Vxor ſi ceſſes, aut te amare cogitat,
Aut te amari, aut potare, aut animo obſequi, et
Tibi bene eſſe ſoli, cum ſibi ſit male.
Ego, quia non rediit filius, quæ cogito?
Quibus nunc ſollicitor rebus? ne aut ille alſerit,
Aut uſpiam ceciderit, aut perfregerit aliquid.
Vah, quenq̃ ne hominem in animo inſtituere,
Aut parare, quod ſit carius, q̃ ipſe eſt ſibi?
Atqui ex me hic non natus eſt, ſed ex fratre, is adeo
Diſſimili ſtudio eſt. iam inde ab adulescentia
Ego hanc clementem uitam, urbanam atq; otium
Sequutus ſum, &: quod fortunatum iſti putant:
Vxorem nunq̃ habui. ille contra omnia,
Ruri agere uitam, ſemper parce ac duriter
Se habere, uxorem duxit, nati filii
Duo ſunt, inde ego hunc maiorem adoptaui mihi,